DE

GRAVIDARUM REGIMINE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM BEROLINENSI

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

D. XVI. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXII.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR

CHRIST. GOTTH. TRAUG. HILBERT

REGIOMONTANO-BORUSSUS

OPPUGNANTIBUS:

L. MIEGEL, MED. CAND.

I. OLLENROTH, MED. DD.

E. GABLER, MED. CAND.

BEROLINI,

TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII.

VIRO

CLARISSIMO AMPLISSIMO DOCTISSIMO

IOAN. GUST. KRANTZ

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, LEGIONUM, QUAE BORUSSIAM ORIENTALEM, OCCIDENTALEM ET LITHUANIAM TENENT, SUMMO CHIRURGORUM PRAEFECTO, CRUCIS FERREAE EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC. ETC.

NEC NON

VIRO

PRAENOBILISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO

IOAN. CHR. BERNHARDI

MEDICO - CHIRURGO, ASSESSORI COLLEGII MEDICO - CHIRURGICI REGIOMONTANI

AVUNCULO SUO LONGE DILECTISSIMO

PIA GRATAQUE MENTE

HASCE

STUDIORUM SUORUM
PRIMITIAS

OFFERT

AUCTOR.

Prooemium.

Antiquo majorum more traditum novimus, ut, qui summos in medicina honores capessere cupiat, superatis examinibus dissertatiunculam, tanquam diligentiae et habilitatis specimen conscribat. Licet primo obtuitu difficultas exigua esse videatur, materiem quandam huic scopo idoneam inveniendi, quum singulae artis salutaris disciplinae nondum omnibus numeris absolutae sint: artis tamen tironi variae obtruduntur difficultates, siquidem summi ac praestantissimi medicinae professores omnibus fere ac singulis doctrinis suam impenderunt operam, ideoque vel pauciora vel leviora tantum successoribus describenda reliquerunt. Tironem vero experientia destitutum, si quid ego judico, novas explicandi rationes vanaque theoremata in medium proferre dedecet. Ceteroquin unicuique satis notum esse arbitror, delectum inter varias materias non sine difficultate quadam institui posse. Quo tempore in hac litterarum universitate ad medicinae studia incubui, plus semel contigit, ut animus meus a praeceptoribus longe aestimatissimis ad hunc illumve morbum notatu dignum attenderetur. Neque difficilem, neque ingratum suscepissem laborem, si unum alterumve morbum, qui mihi offerebatur, in hoc opusculo descripsissem, verumtamen hoc a consilio propterea abhorrui, quoniam, quae alibi jam

enarrata sunt, ruminare nolebam. Quis autem est, qui, gnarus incrementorum, omnibus litterarum disciplinis suppeditatorum, nova proferre audeat, nisi vel ignorantiae vel arrogantiae se suspectum reddere velit. Quibus rite pensitatis, nihil superesse intellexi, quam ut argumentum, et ingenio et viribus meis maxime consentaneum, ad dissertatiunculam concinnandam eligerem. Quae quum ita essent, regimen gravidarum diaeteticum omnibus aliis praeferendum censui, in quo tirocinium meum collocarem.

Tum artis peritos, tum lectores benevolos, si qui futuri sint, rogatos velim, ut juveni indulgeant, neque hoc qualecunque opusculum severiori arbitrio submittant.

Introductio.

Ad propagandum genus humanum sexu duplici opus est, virili et muliebri, quorum hic, tanquam potior et nobilior, ita per naturam institutus est, ut in ovariis ejus novus homo ordiatur, ad hebdomadam quadragesimam in utero habitet crescatque, et post hoc temporis intervallum partu elidatur, ceterisque animantibus interseratur. Praeter hanc palmariam differentiam alia etiam discrimina mulierculis propria sunt, ad generationem magis minusve pertinentia, ac in libellis anatomicis et physiologicis abunde descripta, quapropter supervacuum judico, omnia illa prolixius his in pagellis enarrare. Haud vero alienum esse arbitror, ea paulo curatius examinare, quae ad victum, totumque gravidarum regimen pertineant, quippe a quibus utplurimum laetior graviditatis exitus dependere consvevit, si scilicet organa corporis muliebris ceteroquin integra sunt. Eadem etiam quam maxime consideranda sunt, ad functiones uteri et reliqui corporis ita dirigendas, ut ad naturae normam respondeant, et ab aberratio-

nibus tutae praestentur. Quae si contingunt, non solum partus felicem sortiatur eventum, verum etiam salus matris atque infantis juvetur, necesse est.

Unusquisque a partium studio alienus facile perspiciet, quanta sit medici obstetricii non solum dignitas, verum etiam difficultas, siquidem varius animi cultus, consvetudo, vitae rationes, corporis fabrica, similiaque operam ejus aliam atque aliam flagitant. Prout haec magis minusve idonea sunt, major etiam aut minor fortuna medico affulgebit, quae non solum ampliorem eruditionis copiam, sed etiam hominum gratiam ei conciliat, qui felicitatis domesticae auctorem eum venerantur.

Multis vero difficultatibus, uti constat, medico unicuique, maxime tamen obstetricio, conflictandum est, quae, quominus consilia sua exsequatur et conata perficiat, praepediunt. Ista quidem impedimenta procedente tempore, licet aegrius, ita interdum submoveri possunt, ut utiliora in eorum locum substituantur. Verumtamen humanitas, studium, et constantia requiruntur, quum sexus sequior, cui medicus obstetricius praecipue operam suam consecrat, debilitate, mutabilitate, ingenii difficultate, rerum vanarum cupiditate, superstitione, aliisque corporis atque animi labibus polleat, (Rudolphi [1]) v. Siebold [2]) ut eas omittam injurias, quas anni tempus, consuetudo rel. iis inferunt.

De regimine in universum.

Tametsi cognitio fabricae humanae paulo accuratior unicuique homini quadam ex parte utilis

---

1) Physiologie 1 Th. §. 235.
2) Lucina 5 Th. pag. 6.

sit necesse est, quippe quae non solum aegrotis aliquantum lucis de morbosis affectionibus suppeditare, verum etiam curantis manum certius regere et moderari potest, manca, tamen istiusmodi notitia variis stipatur incommodis, quum experientia doceat, maximum numerum aegrorum, qui docti sibi videntur, interdum de industria medicum erroribus implicare, immensaque medelae obstacula objicere. Alia medicinae diaeteticae ratio est, quae omnibus scitu maxime necessaria esse videtur, quippe ex qua non singulis solum, sed totis etiam gentibus uberrima utilitas, ex ejus inscitia vero inevitabile damnum et exitium profluit. Tanto minus dubitationis recipit, quin illa medicinae pars ad usum praegnantium potissimum accommodanda sit, quum ab idoneo regimine, per graviditatem servato, non solum, ut antea diximus, matris salus, verum etiam spes et prosperitas futurae progeniei dependeat, ergo civitatis incrementa laetissima proficiscantur. Quae quum ventilarem, me operae pretium esse facturum, non dubitavi, si hanc materiem, licet multifarie jam adumbratam, et a viris praestantissimis enucleatam, brevibus pagellis comprehenderem, adjectis praecipue recentiorum auctorum observationibus; haud raro enim evenire solet, ut homines, tum cultiores, tum rudiores, ea, quae per se levia videntur, attamen sane necessaria sunt, parvi faciant, imo adeo medici ipsi iis supersedere soleant.

Quum probe intelligerem, me longius a scopo discessurum esse, si systematicam hujus argumenti expositionem, persequerer, eam dicendi rationem elegi, qua potissima quaeque brevibus constipare possem capitibus, propterea que me non ignorare confiteor, quot et quanta huic opusculo desint, ut numeris suis absolutum dici possit.

Graviditatis signa.

Quid sit graviditas, neminem fugit, praetereaque in prooemio positum est, quapropter protinus ad signa graviditatis gradum facio. Conceptione post foecundum coitum exorta, mulierculam gravidam esse dicimus (v. Siebold [1]); attamen signa, quibus cognosci solet graviditas, ab initio perquam fallacia sunt, quippe quae suspicionem magis moveant, quam certo nobis persvadeant. Quo major autem criteriorum numerus concursat, eo probabilior redditur graviditas. (Hoffmann [2]) Roederer [3]). Quodsi mulier concepit (Steidele [5]) Hippocrates, [4]) variae superveniunt aegritudines, ut artuum lassitudo, horripilationes, aliaeque perturbationes intercurrentes. Animi indoles morosa evadit ac difficilis, subinde nausea, defectus animi, vomitus matutinus, (cui notae Prof. Kluge, artis obstetriciae magister in nosocomio caritatis berolinensi, plurimum ponderis tribuit) dein appetentia ciborum imminuta, fastidium esculentorum quorundam et potulentorum, vel etiam immoderata rerum insolitarum appetentia, accedunt. Ex more menstrua, ante haec rite respondentia, suspenduntur. Si longius processit graviditas, mammae tumescunt, areola circa papillas opaciorem induit colorem; post primum graviditatis dimidium motus infantis luculenter sentiuntur, qui ve-

---

1) Lucina 4. Th. pag. 113. etc.

2) *Wie können Frauenzimmer frohe Mütter gesunder Kinder werden? Leipzig Th. I. pag.* 3.

3) Elementa artis obstetriciae. Gottig. 1766. pag. 63.

4) *Verhaltungsregeln für Schwangere. Wien* 1787. *pag.* 28.

5) Aphor: sectio quinta. Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore, neque febre succedente, ciborumque fastidia ei accedant, gravidam esse existimato.

ro ab iis rite distinguendi sunt, quos intestina, flatibus aliisve agitata, interdum efficiunt. Praeter haec alia etiam criteria, licet minus essentialia et constantia, animadvertuntur, quibus accensenda sunt: tendor quidam genitalium ac femorum, dolores capitis dentiumque, maculae faciei, pectoris, quarum Hoffmann [1]) jun. mentionem facit, et Kluge aliquoties in pectore foeminae, conceptionem expertae, observavit, partuque absoluto evanescere vidit. Si plura horum criteriorum inter se respondent, conceptionem suspicari oportet, quam ob rem melius sibi consulunt foeminae, quae hisce signis apparentibus sese gravidas, quam non gravidas putant. Etenim si dubitant, non solum se, sed foetum etiam facilius injuriis objiciunt, sin persuasum sibi habent de conceptione, cum observatione quadam et moderatione iis indulgent, ex quibus detrimenti aliquid metuendum est. Natura ipsa leves coecasque mulierum mentes ad illam moderationem attendit, quippe quae corpora earum per totam graviditatis periodum ad quaslibet mutationes, tum salubriores tum perniciosiores opportuniora esse voluit.

De vestitu.

Foemina viro nupta, protinus id operam det necesse est, ut, praetermissa quidem senectutis morositate, quandam honestatis atque decoris speciem prae se ferat, illisque abstineat illecebris, quibus puellae juvenum gratiam ac animos captare student, praecipue autem vestitum indecorum et luxuriosum exuat, quo plurimae corporis formositatem augeri existimant. Vix enim ulla salutis futurae et matrimonii prosperi spes affulget, nisi ve-

---

1) Th. I. pag. 5.

sana illa seculi nostri consvetudo, corpora thoracibus constringendi, abjiciatur. Cur haec omittenda sint, facile patet, nam stagnationes, indurationes, scirrhi, carcinomata, aliaque vitia insanabilia ex more illo perverso subnascuntur. Fusius de his disseruerunt [1]) Tribolet [2]), Steidele [3]), Hoffmann [4]), Klees. Vestitus praegnantium non solum anni tempori, corporisque constitutioni respondeat, verum etiam quoad cetera idoneus et satis laxus sit necesse est, ne uterus prohibeatur, quominus ad omnes partes dimoveatur, et neque mammis, nec toti organismo aliquod objiciatur offendiculum, quo incrementum et incolumitas eorum periclitetur. Ex his elucet, vestitum quemvis strictiorem plus minusve damni inferre. Quod quum de omnibus, tum in specie de puellis pubescentibus dici oportet, quarum scilicet in corpore, sub pubertatis tempus, organa nobiliora, sublimiori scopo dicata, evolvuntur. Nonne foeminae, tam pravo vivendi generi implicatae, culpa irroganda est, si quando infantes deformes et exili valetudine conspicuos ediderit? Nonne metuendum est, ne liberi maturescentibus annis, licet insignis sit eorum pietas, matri parum gratiae referant, quod vitam tantis calamitatibus pressam ipsis conciliarit? Sed mittamus haec philosophemata; sufficiat ea repetere, quae ab auctoribus supra recensitis monita sunt: usum scilicet thoracum, vestimentorumque molestorum, quae abdomen constringunt, multis de causis repudiandum esse. Neque minus vincula, quibus tibialia cruribus adnectuntur, et calceamenta, soleis tenuissimis instructa, nocent; illa enim sanguinis refluxum praepediunt, varices, ul-

---

1) *Sorgfalt für die Brüste der Frauen. Leipzig* 1795. *pag.* 180.
2) vid. pag. 25.
3) vid. Th. I. pag. 68.
4) *Ueber die weiblichen Brüste* 1798 *pag. 25.*

ceraque maligna, omnibus auxiliis renitentia, inducunt, haec vero gressum incertum reddunt, neque non ad perfrigeria et abortus opportunitatem praebent, quum tempestate humida squalidaque facillime humor tegmina pedum tenuissima permeare soleat. Calcei cum soleis suberosis, si quid ego judico, mulierculis praegnantibus inimico anni tempore commendentur necesse est, quippe quibus incommodis illis occurri possit. Nonnulli foeminis, uterum gerentibus, braccarum usum commendaverunt (Froriep [1]), ut aequabilis femorum atque ventris temperies efficiatur. Huic tamen objiciendum est, sexum sequiorem braccis haud assvevisse, quapropter transpiratio cutanea plus justo adaugetur, tubae intestinalis vero diminuitur. Hinc saepenumero alvi obstructiones tenaces ac difficiles nascuntur, et Klugius eandem ob causam braccas vitandas esse existimat, nisi mulierculae a teneris inde iis usae sint. Vestis lanea, per vincula satis lata scapulis affixa, braccarum vices exhibet, multoque commodior esse solet. Fasciae abdominales, a quibusdam laudatae, braccis aequiparandae sunt, verumtamen, si venter nimis propendet, usui esse videntur, ut non fulcrum solum utero praestent, sed etiam situm ejus normalem tueantur, partusque abnormes caveant. Fascia abdominalis sic constituta, quae ad dorsum constringi firmarique possit, citra dubium reliquis praeponenda est. Sed haec hactenus; nimis enim a scopo aberrarem, si fusius de vestitu dissererem.

De victu.

Quanta demum sit observatio, quam gravidas vestimentis habere oporteat, haud inficias est eun-

---

1) *Geburtshülfe. Weimar* 1818. *pag.* 321.

dum, quin major fere cura in victum impendenda sit. Tametsi de Siebold [1]) evidentissime illustravit, graviditatem haud morbis, sed conditionibus ad normam naturae et sanitatis respondentibus accensendam esse, bene tamen praegnantes sibi prospiciunt, si valetudini suae hac in periodo parum confidunt, quia, si paululum sollicitantur, circumspectius ea eligere solent, quae idonea esse constat.

Esculenta ac potulenta gravidis consentanea, (Brand [2]), Hoffmann [3]), Steidele [4]), leviora sint, necesse est, nec dyspeptica, nec uberiori alimento imbuta, minime flatulenta; quaecunque enim his contraria sunt, facile obstructiones alvi, nimium foetus incrementum, partumque difficilem, licet genitalia concinne sint formata, ac pelvis normae respondeat, porro incommoda et aegritudines cujuslibet generis, ut cephalalgiam, nauseam, vomitum copiosiorem, quam qui gravidis conveniat, rel. causantur. Opus pistorium, legumina, cibique rancidi, intense saliti, et multo cum adipe apparati, quantum licet, fugiendi sunt, quod eo magis considerandum est, quo debilior coquendi facultas ventriculo inest. Spirituosa, quum frequentius assumta, aliis etiam obsint, gravidis potissimum infesta observantur. Si quis vero ita iis assuevit, ut sine damno abstinere nequeat, usus eorum largiendus quidem, sed ita moderandus est, ut parcius ingerantur. Quae si negliguntur, incommodis supra enumeratis, propter intensiorem vis plasticae principatum, congestiones, inflammationes aliaque superveniunt, quae interdum aegerrime, nec nisi eximio matris foetusque detrimento, coercentur. Si quando vires spirituosis instauran-

---

1) Lucina Th. 4. pag. 130.
2) *Von den Geheimnissen der Weiber.* Nürnberg 1791. pag. 144.
3) Th. I. pag. 13 — 39.
4) pag. 37.

dae et reficiendae sint, pro medicamento iis utendum est. Non possum, quin mentionem faciam infusi coffeae theaeque, quibus mulieres nostri aevi quam maxime abuti solent. Uterque potus, a gravidis liberalius haustus, relaxata irritabilitate, ad summum usque fastigium sensibilitatem evehit, propterea que calamitates multifarias, unicuique medicorum notissimas, curatuque difficillimas, inducit. Ceteroquin temperantia non solum congrua, verum etiam justa omnium rerum moderatio commendanda est, etenim indiciis, quae supra exposuimus, rite intellectis atque servatis, praegnantium sors mirifice sublevari potest.

De exercitio gravidarum.

Quanta sit utilitas adeoque necessitas exercitationis, ad conservandam valetudinis integritatem, quis est, qui non intelligat, siquidem effectus perniciosi exercitationis neglectae magis minusve quotidie observantur. Quanta igitur efficacia ejus sit necesse est, ad tuendam gravidarum salutem, quippe quarum vires non solum duplici contentione exagitantur, verum etiam variorum obstaculorum repugnantiis fatigantur. Corpus mulieris praegnantis exercendum esse, omnes consentiunt auctores, (Hoffmann, [1]) Steidele, [2]) v. Siebold, [3]) attamen aliquam movet dissensionem, quo modo id fieri debeat. In universum illud proverbium huc referendum esse arbitror, optime sibi consulere, quae medium teneant. Ambulatio sub dio, in planitie, reliquis exercendi methodis palmam praeripit, quae vero citra fatigationem sit necesse est, ne vires nimium exhauriantur, neque sanguinis

1) Thl. I. pag. 40 — 49.
2) pag. 50.
3) Lucina Th. 4. pag. 128.

ɪis impetus ad partes inferiores adaugeatur, proluviisque quam maxime cavendis opportunitas ɪraestetur. Hanc ob rem praegnantibus citatior :ursus, saltus, praeprimis autem saltatio inter iniia graviditatis prorsus interdicenda, (Roederer, [1]) Ioffmann, [2]) etc.) ac ne post dimidium quidem aepius indulgenda est. Sub finem graviditatis ɪraegnantes ob nimium corporis onus ab ejusmodi xcessibus sponte abstinere consueverunt. Sin vero altandi necessitas incidit, eatenus temperetur neesse est, ut motus rapidiores vitentur, omniaque, uae aliquantum molestiae faciunt, prohibeantur, uippe quae ad distentiones et relaxationem uteri, d perturbandum ejus situm, foetumque distraendum, ad abortum et alia occasionem submini:rant. Imo interdum mors repentina hisce sucedit, id quod experientiae testimoniis confirmatur.

Gestationibus idoneis, quae vero exercitationi ɪulto posthabendae sunt, inseri potest vehicuɪm, chalybe elastico munitum, si scilicet foemiae satis opulentae, multoque magis, si tenerae, ebiles et valetudinariae sunt. Alienus vero curɪs est, stabili instructus sedili, quippe qui damna ɪpra recensita, imo longe majora, infert. Haud arum attentionis ii quoque motus merentur, qui ɪm majori minorive pulmonum et diaphragmatis ɔntentione juncti sunt, vel insignes musculorum :tiones, cum simultanea corporis pandiculatione, :quirunt, quum, experientia teste, subitum moliri ossint abortum, quod Swietenium in foemina uadam observasse, Hoffmann [3]) in operibus suis :firmat.

Non alienus hic locus esse videtur, cui quaeam de somno ac vigilia praegnantium interponam, uum usus eorum evidentissimus sit, si tempestive

---

1) Elementa artis obstetriciae etc. pag. 289.
2) Th. I. pag. 139 etc.
3) Th. I. pag. 47.

administrantur, nostris tamen temporibus, inte nobiliores potissimum ordines, plurima fere hi contraria agantur. Etenim foeminae gravida tum ordinum superiorum, tum mediorum, tota transigunt noctes, chartis ludentes, theaeque infu sum avide haurientes. Humilior tantum popu pars, laboribus assvefacta, prae ceteris autem ru ricolae, naturae institutis magis obtemperant, ide que optima florentes valetudine, vera matrimon ac parentum gaudia carpunt. Haec veritati con sentanea esse, communis omnium experientia, observatio abunde testatur. Num vero intin omnium rerum conspiratio potest stabiliri, si, qu ei obnituntur, tantum abest, ut submoveantur, magis magisque amplificentur? Nonne incongru quaeque noxios proliciant effectus, necesse e et nonne haec omnia ad mulieres praegnant multo magis quam ad alios homines referend sunt? Ea solummodo vivendi ratio, quae mediu tenet iter inter excessum et abstinentiam, qu noctem quieti, diemque negotiis, vel leviorib mentis exhilarationibus dedicat, praegnantibu conducere solet; perpetuum etiam est, ut labor corporis idoneo excipiantur otio, quod vires ami sas instauret. Attamen requies, si nonam exced horam, corporis inducit laxitatem, qua immodic cutis transpiratio, aliaque phaenomena efficiuntu quae, tantum abest, ut prosint, ut detrimentun potius inferant. Nihilominus experientia nob persvadet, mulieres haud paucas, e nobilioribu potissimum ordinibus, horas duodecim, quindecim imo octodecim somno consumere, nec aliis tan tum, sed sibimet ipsis quoque ingentes parar molestias, nam adeo perversum est earum inge nium, ut sibi partuique se consulere arbitrentun Quid autem est, quod ex vitae ratione magis ve getativa, cui saepissime victus incongruus, nec rar alienus accedit, sperari queat? Nihil omnino, quan tum equidem rationibus meis confidere non du bito. Quod ad dormientes pertinet, ad alteru

trum latus decumbant necesse est, etenim, si qua gravida in adversam aut aversam corporis faciem procumbit, vel sollicite corpus huc illuc jactat, maxime sibi nocet. Si uterus ad hoc illudve latus inclinet, in contrarium decumbere oportet, ut medius uterus sub linea Winzlowii collocetur, quod suis emolumentis non destituitur.

De tempestate.

Anni temporum ad valetudinem secundam efficacia, e constitutione annua profecta, omnibus satis cognita est. Attamen haec res non penitus hic praetermittenda est, ne quaedam in hoc opusculo interstitia existant, quam ob rem, quae praegnantibus vel noceant, vel prosint, breviter enarrabo.

Qualiscunque demum est veris amoenitas, ac praesidium, quod praegnantibus inde capere licet, summa tamen vestimentorum observatio requiritur, siquidem hoc anni tempore aëris temperies summe mutabilis est, ac modo frigus aestu, modo ariditas pluviis excipitur. Hanc ob causam vestitus modice calidus prodest, prae ceteris pluvia tempestate soleae calceamentorum suberosae summam saepe utilitatem praestiterunt, quum, ut ipse observavi, mulieres tum nobilioris tum medii ordinis, quibus antea multis difficultatibus inter graviditatem conflictandum fuerat, prorsus liberarentur, simulatque calceis supra memoratis utebantur. Corporis exercitium hoc anni tempore circa meridiem fere optimum est, quibus scilicet horis aëris temperies maxime aequabilis et jucunda esse solet. Ex nutrimentis ea, quae facile coquuntur, optime conveniunt v. c. olera; pro potu cerevisia levior, bene fermentata, vel, melius etiam aqua respondet; haec vero ad corporis indolem conformanda sunt.

Aestas propter ingentem calorem gravidis infensa est, quam ob rem corpus levissime vestitum, et fere nudum haberi solet. Quam laudabilis generatim mos esse consvevit, corpus injuriarum patiens reddendi, tam inimicus sexui sequiori, ac gravidis potissimum esse videtur. Innumera vitia, deinceps coorta, non temere fonti illi adscribuntur, imo natura interdum de vestigio delicti poenas repetit. Ut omnibus igitur occurratur morbis, vestitus quidem simplex, sed ita constitutus eligatur, ut unaquaeque pars, prout ejus functio et opportunitas morbosa expostulat, a potentiis nocentibus, praeprimis ab aëris perflatu, defendatur, cui quidem facilius aestate, quam alio tempore corpus patere solet. Corpus mane exercendum est, postquam roris guttulae solis efficacia sunt consumptae. Ad cibum potumque iis utendum est, quae supra enumeravi.

Autumnus longe maximam desiderat attentionem. Vestitus calidior quam vere convenit, prae ceteris pedum involucra dispicienda sunt. In conclavi et cubiculo summa administretur mundities, praesertim aër quotidie intromittatur, neque cubiculi temperies ultra 15 ° Reaum. intendatur. Ceteroquin non solum flores odorati, sed omnia etiam fragrantia cujuslibet generis, submovenda sunt, quippe quae naribus quidem adulantur, aërem vero, tantum abest, ut corrigant, ut potius corruptelam ejus juvent. Linteorum quoque humidorum suspendium in cubiculis vitetur, ne catarrho narium, tussi, capitis doloribus, aliisque opportunitas praebeatur, ac debilitas inferatur. Diaeta autumnalis paulo validior quidem conducit, verumtamen excessus quilibet duplicem inducit noxam. Carnes tenerae, juscula carnis, modice aromatica, nec non farinosa, digestioni leviori adaptata, commodissima sunt. Eadem de potulentis dicenda sunt, attamen unus alterve cyathus infusi theiformis, cui cochlear minus spiritus oryzae additum sit, paulo ante decubitum hausti, prodesse

videtur, nisi indicationes contrariae prostent, etenim transpiratio cutanea leviter iis excitatur. Si tempestas impetuosa diutius protrahitur, corpus in conclavi exercendum est, verumtamen singula intervalla, quibus sol aperuit nubila, sub dio, in locis tutis siccisque transigenda sunt.

Hiems in universum non aliud expostulat regimen, verumtamen ambulationes soli lubrici causa, magna cum observatione instituendae sunt. Hinc etiam calceamentis, materia quadam aspera v. c. lana, munitis, utendum est, ut lapsus caveantur.

De Munditie.

Quod munditiem attinet, non est, quod fusius exponamus, quanta ejus ad conservandam valetudinem sit necessitas, quam ob rem nullam recipit dubitationem, quin praegnantes ei prae ceteris studere debeant. Lavatio cutis ex aqua pura, tepida, sapone, furfuribus etc. non solum cutis transpirationem saluberrimam movet, verum etiam cutem firmat, ac decorat. Sed hic etiam perfrigerium maxime cavendum est. Balnea tepida universalia, teste Hoffmann [1]), Froriep [2]) aliisque summam merentur laudem, attamen semel tantum per hebdomadam ita propinanda sunt, ut mulier non ultra quartam horae partem in iis commoretur. Quae mundities linteis, vestimentis, cubiculisque singulatim impendenda sit, praetermittere placet, quoniam nimis a scopo abhorret. Praesertim tamen ad capillorum curam atque munditiem inter graviditatem animus attendendus est, quippe quae per tres hebdomadas a partu mi-

---

1) Th. I. p. 88. etc.
2) §. 356.

nus rite administrari queunt, quum communis plurimorum experientia testetur, hoc foeminarum ornamentum pérditum ire, si praecepto illi negligentius obtemperetur, (Froriep [1]).

De partium singularum cura.

Quum universi corporis salus unicuique gravidae curae cordique esse debeat, haud minorem attentionem singulae desiderant partes, quarum summa est dignitas, ac momentum. Prae ceteris mammae sunt fovendae, quippe quae teneris infantulis nutrimenta, itaque salutis et incrementi fontem exhibent. Quae ut commodissime ad hoc consilium respondeant, cura earum inde a septimo graviditatis mense rite instituenda est. Ab hoc enim tempore mammae subinde aqua tepida abluendae, calori modico submittendae, a refrigerio tuendae, oleisque blandis per intervalla fricandae sunt. Papillae mammarum, areolaeque ambeuntes, ab involucro membranaceo, illito oleo amygdalarum, ope chartae exasperatae (Kluge) deliberandae sunt. His provisis, mammae bene contineantur, et aqua cum vino aut spiritu lavendulae, (Hoffmann [2]), vel spiritu oryzae, vel áqua Coloniensi, (Reil [3]), aut, quod optimum est, spiritus frumentacei, et aquae frigidae partibus aequalibus foveantur, necesse est. Quodsi papillae nimis subsidunt, vel perexiguae sunt, vel in se ipsas retrahuntur, quod vitium thoracum usu plerumque inducitur, nec facile tollitur, svadentibus Hoff-

---

1) §. 356.
2) Thl. I. pag. 173 — 178.
3) *Erkenntnifs und Cur der Fieber* 1805. *Thl. III. pag.* 392.

mann [1]), Froriep [2]), Jörg [3]) aliisque, instrumentis assugentibus, vel antliis lacteis, ad eas protrahendas, utendum est. Ne post haec iterum retrahantur, annulos elasticos, ab Osiandero commendatos injicere oportet. Quod vero methodum, a Froriep, Jörg, Reil et aliis laudatam, attinet, papillam digitis protrahendi, non solum rudem et incongruam, verum etiam damniferam eam existimo, quippe qua inflammatio, induratio etc. facile efficiuntur, (Kluge). Eximio cum fructu adhibentur opercula papillarum elastica, ab Ill. de Siebold commendata, quorum optima Potisdamiae conficiuntur, cum eo tamen, ut usus eorum diutius continuetur, quod facile fieri potest, quum nihil incommodi inferant. Si, quod interdum evenit, ante partum lac in mammis secernitur, ejusque profluxu debilitas et matris et foetus inducitur, Reilio [4]) obsequendum est, qui hemisphaeriis aliquot, ex linteo confectis, et gossypio refertis, mammas aequabiliter comprimi, cucurbitulas sine ferro imo ventri subinde apponi, et alvum leniter laxari jubet. Neque minus tegumenta cavi abdominis cum moderatione quadam lavari oportet; si cutis rigida est ac tensa, unguentum althaeae blande infricandum, neutiquam vero immodice ventri illinendum est. Denique pudendis externis curam impendere convenit. Fomenta blanda, emollientia, suspensa manu adhibita, nec non inunctiones oleosae, tum potissimum prosunt, cum ingens fibrarum tendor est. Praeterea summae harum partium munditiei prospiciendum, ratioque

---

1) Th. I. pag. 177. etc.
2) §. 357.
3) *Diaetetische Belehrungen für Schwangere. Leipzig.* 1812. *pag.* 37 — 38.
4) Thl. III. pag. 396. etc.

ejus tanto magis habenda est, quo major in universum negligentia circa hanc rem invenitur.

De excretionibus.

Magnam gravidarum attentionem transpiratio cutanea sibi vindicat, quae quomodo fovenda sit, in superioribus capitibus fusius exponere studui. Reliquum igitur est, ut paucis indicem, urinae alvique excretionem haud negligendam esse. Lotium neque frequentius mittendum, nec diutius retinendum est, utrumque enim, quod per se intelligitur, nocet. Causa retentionis urinae haud raro a pressu deducenda est, quem uterus gravidus ad vesicae collum exercet. Interdum tamen accidit, ut praegnantes, ceteroquin sanae, retentionem urinae spasticam, perfrigerio exortam, conquerantur. Si illud est, vitium leniore uteri reclinatione facile submovetur, sin hoc, cyathi aliquot infusi chamomillarum a muliere hausti, opitulantur. Quae si frustranea sunt, medicum consuli oportet, nam si sibi ipsae consulere student gravidae, plerumque tormenta adaugentur, morbusque facile ad altiorem gradum evehitur. Eadem de alvi excretionibus dicenda sunt, quae quotidie bene respondeant necesse est, quo magis enim functio ista ad naturae normam respondet, eo laetior salus mulieri contingere solet. Quae in his respicienda sint, etiam supra a me expositum esse arbitror. Sin nihilo secius obstructio alvi, vel diarrhoea subnascitur, medici peritioris consilium protinus petendum est, quippe quo solo affectiones illae rite tolluntur.

De praejudiciis quibusdam et perversis curae rationibus.

Nihil saluti matris foetusque perniciosius esse solet, venaesectionibus, emeticis, purgationibusque, quibus gravidae interdum adeo assveverunt, ut, intermissis iis, vix salvas se evadere posse arbitrentur. Pravitas hujus opinionis licet primo cognoscatur obtuitu, non omnino tamen diffitendum est, vivendi rationem, qua praegnantes nostris utuntur temporibus, illa interdum praesidia expostulare. Etenim luxuries aevi nostri eum attigit gradum, ut mens, gula, corpusque universum fere omnibus, quae secundum naturam sunt, desvefactum sit. Hinc sexcenta vitia nascantur, necesse est, quae, ut ad normam naturae reducantur, subsidia vel mitiora vel potentiora exigunt. Haec vero, ut interdum necessaria sunt, a medico tantum praecipi et administrari debent, ne incautius applicata, damnum augeant potius, quam tollant. Venaesectiones non solum matrem sed foetum quoque debilitant, laxantiaque immodice hausta, emeticisque subinde excepta, abortum efficiunt, nec raro mortem inferunt.

De animi pathematum et imaginationis efficacia.

Viros irritabilitate, mulieres sensibilitate, et reproductione praepollere, abunde constat. Quae quum facta conceptione summo vigore floreant, omnes injuriae, animi affectus, potissimum deprimentes, eo circumspectius vitandi sunt, quod permulta exempla, ab Hoffmann, [1]) Steidele, [2]) aliis-

---

1) Th. I. p. 101.
2) pag. 62. etc.

que enarrata, luculenter testantur, non solum abortum, sed morbos etiam perniciosissimos, imo mortem repentinam hoc ex fonte emanare. Metus, terror, luctus et ira, omnium sunt efficacissima, haud minus periculi autem turba effrenata reliquorum animi affectuum inducit, quibus etiam laetitia nimia adjudicanda est.

Imaginationis efficacia circa corpus haud inficianda est, an vero animi pathemata per hereditatem transferri, imaginesque terrificae cum foetu communicari queant, unanimi omnium autorum consensu, cum evidentia affirmari nequit. (Froriep, [1]) Steidele, [2]) Hoffmann. [3]) Compertum vero per experientiam habemus, intimum matris cum foetu commercium deesse, nervosque nec in placenta nec in funiculo umbilicali posse indagari, quibus mentis actiones ad foetum transponi, eique detrimentum inferre queant. Monstra illa, quae nonnunquam in lucem prodeunt, me quidem judice, a reproductionis et plasticitatis abnormitatibus, inter ipsam conceptionem evenientibus, dependent; si paulo magis foetus adolevit, potentiae tantum mechanicae, ictus, pressus, plaga etc. formam ejus deturpare videntur. Quamvis autem haec omnia multis obfuscantur tenebris, satius tamen censeo, mulieres praegnantes ab omni metu, imaginibusque terrificis ac fastidiosis arceri, quum unaquaeque impressio inopinata corporis functionibus tam inimica sit, ut nutritio et efformatio foetus turbetur. Non est, quod moneamus, laetitiam bene temperatam, animique securitatem et hilaritatem, tum matri tum infanti, quam maxime prodesse, quippe quae omnia corporis ministeria promptiora ex expeditiora reddunt.

---

1) §. 186.
2) pag. 14.
3) Th. I. pag. 117. etc.

De oblectamentis.

Tametsi oblectamentorum efficacia ad corporis salutem negari non potest, nemo tamen diffitebitur, voluptates, quibus nostra aetate indulgeri solet, plus detrimenti, quam commodi adferre, quod quidem damnum perversa sentiendi agendique ratione praegnantium augeri solet, quippe quae, omnia illa delectamenta et sibi et infanti conducere, persuasum habent. Haud enim pudet, convivia et saltationes, aut spectacula indecora adire, diemque aut legendo fabulas romanenses, aut alios libros nefastos, consumere, parum curatis omnibus, quae vel animum corrumpunt, vel corpus infestant. Praeterea genera quaedam illorum oblectamentorum vitiis omnibus locum faciunt, quae supra enumeravi: mulieres corpus constringunt, ut morum perversitati indulgeant, formaeque gracilitatem et venustatem aemulentur. Ex his patet, victum idoneum saepe negligi, perfrigeriisque ansam praeberi, quibus id efficitur, ut innumeri exoriantur morbi, quibuscum medico, ne bonam nominis famam prosternat, summopere conflictandum est. Quaenam delectamenta praegnantibus conveniant, quae noceant, e superioribus facile dirimi potest.

De praeternaturalibus desideriis et nimio coitu.

Mirificis saepenumero desideriis gravidae tentantur, quorum causa ex affectu nervoso systematis uterini, vel etiam ex vitae genere, subinde perversissimo, deducenda est Quantum saepe periculum praegnantibus moveatur, si desideriis illis non solum pertinaciter indulgeant, verum etiam ea exsatient, ex eo elucescit, quod origo eorum sen-

sibilitatem nimiam, victu incongruo exaltatam, supponit. Huic si satisfaciunt, nonne certissime constat, malum augeri potius, quam diminui? Nihilominus vero vix dubitant, quin vitam desideriis illis rite accommodare debeant, quum amicae non solum, sed maritus etiam atque amitae, neptes, aliaque familiae membra de salubri hujus methodi effectu persvasissimum sibi habeant, neque experientia solum sese edoctas existiment, sed fabulas quoque a vetulis mulierculis sibi traditas, magni faciant. Sed quid tandem lucri assequuntur, si desideriis suis habenas immittunt? Nonne cruciatibus multifariis, imo adeo morti sese opportunas reddunt? Recentiores v. c. Froriep [1]) Jörg [2]), Steidele [3]), de Siebold [4]) aliique evidentissime commonstraverunt, eas tantummodo mulierculas, quae gravissimis teneantur praejudiciis, animum suum ad illas quisquilias advertere. Tum omnes omnino, tum praegnantes potissimum, libidinibus suis imperent necesse est. Sed eheu! irrita saepe sunt medicorum conamina, si praejudicatis opinionibus ac superstitioni palmam praeripere student, sanaeque rationis usum mulieribus inculcare conantur.

Superest, ut de coitu paucula quaedam moneamus. Mulier, si concepit, primis graviditatis mensibus, quantum fieri potest, amplexus venereos vitet, necesse est, quippe qui, stimulum efficiendo, corporisque actiones violentas inducendo, haud raro ad abortum, sanguinis profusiones, relaxationem etc. opportunitatem subministrant. (Hoffmann [1]). Si longius jam processit graviditas,

1) §. 355.
2) pag. 26. etc.
3) pag. 40. etc.
4) Lucina Th. IV. pag. 419. etc.
5) Th. I. pag. 120. etc.

caute iis indulgendum est, quum minima irritatio foetus evolutionem praepedire possit. Si puerperii tempus prope accessit, ex toto suspendantur necesse est, siquidem corpus infantile, utero inclusum, haud raro eo perturbatur pressu, ut deformitates, aliaque vitia, supra recensita, enascantur.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
ADJECTUM.

Ego, Christianus Gotthilff Traugott Hilbert, Regiomontii, Borussiae Orientalis urbe, pridie Idus mensis Januarii, Anno millesimo septingentesimo nonagesimo quinto, natus sum. Parentes optimi jam diu vita sunt defuncti, pater dilectissimus. medico-chirurgus et obstetricius, illa in civitate degebat. Ab anno aetatis sexto usque ad decimum sextum in gymnasio Friderico-Guilelmano litterarum elementis institutus sum. Consecrationis actu ecclesiae evangelicae addictus, mense Aprili anni MDCCCXII alumnus in seminarium regium medico-chirurgicum, quod Friderici Guilelmi nomine Berolini floret, traditus sum, et per triennium et Medicinae et Chirurgiae operam navavi, hisque interfui praelectionibus:

De Logice, Mathesi et Psychologia Beat. Kiesewetter; de Chemia, Pharmacia et Physice Cel. Turte et Ill. Hermbstaedt; de Botanice Beat. Wildenow; de Zoologia Cel. Lichtenstein, de Anatomia et theoretica et practica Ill. Rudolphi et Knape disserentes audivi; Physiologiae praecepta ab Ill. viris Rudolphi, Horkel et de Koenen hausi. Pathologiam generalem et Semioticen a Cel. F. Hufeland edoctus sum; in Pharmacologia mihi duces fuere Ill. de

Koenen; in arte formulas medicas concinnandi, et anthropologia forensi Ill. Knape; in Pathologia speciali Ill. Horn, et in Therapia, tam generali quam speciali, Ill. Horn. et Cel. F. Hufeland; in Chirurgia Ill. Graefe et Cel. Mursinna; in arte obstetritia Cel. Mursinna et Cel. Kluge; in Pathologia morborum infantilium atque Therapia Cel. Richter; exercitationibus clinicis Ill. Horn et Ill. Graefe interfui. Denique per octodecim menses in nosocomio Caritatis berolinensi aegrotorum curam factitavi. Quo facto ab anno MDCCCXVI usque ad annum MDCCCXXI Regiomontium Borussorum missus, officia medico-chirurgi secundarii in prima cohorte pedestri exercitus Borussici suscepi, dein vere anni ejusdem missionem impetravi, et Berolinum redux, Ill. Rudolphi scholas de anatomia comparata, Ill. Link de Pharmacologia; Ill. Knape de splanchnologia; Ill. Rust et Cel. Kluge de akiurgia audivi; exercitationibus clinicis chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Graefe et Ill. Rust, obstetriciis Cel. Kluge interfui, ejusdemque exercitationes clinicas frequentavi.

Tentamine et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, dissertatione inaugurali conscripta publiceque defensa, non dubito, quin summos in utraque medicina honores per Decanum maxime Spectabilem impetraturus sim.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Congestio sanguinis est inflammatio incipiens.

II

Scirrhus ab induratione alia discerni nequit.

III.

Nulla suppuratio nisi ex inflammatione.

IV.

Metastases lacteae non dantur.

V.

Ligatura aneurysmatis compressioni praeferenda est.